



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

50. De Childerico, qui Episcopo Franconi villam Ecclesiast. iniquo iudicio extorsit, eiusq[ue] diuina vltione ac delicti sui agnitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

filios Chaiani per febrem & inguinariam passionē occidit, vna cum alijs turpibus multis, ita vt post triumphale gaudium cum carminibus & canticis, lamentationes & lachrymę & luctus sine consolatione possideret Barbaros.

Gregorius Turonensis Episcopus libr. de gloria Confessorum cap. 71. De Childerico, qui Episcopo Franconi villam Ecclesiasticam iniquo iudicio extorsit, eiusq; diuina ultione ac delicti sui agnitione.

C A P. L.

A Quensibus est concessus inclytus Aethleta Metrias, qui à sæculo victor abscissit, sapius se in coelis degere, virtutibus manifestis ostēdens. Tempore igitur quodam, cū Franco Episcopus huius municipij Ecclesiam gubernaret, Childericus qui tunc primus apud Sigibertum regem habebatur, villam eius competit, dicens, quia iniuste ab Aquensi Ecclesia retineretur, & dicto citius conuenitur Episcopus. Datisque fideiussoribus, in præsentia regis assistit, clamans & obsecrans, vt rex ab huius causæ audientia, præsentiam suam auerteret, ne cœlesti iudicio condemnetur, addens, Scio enim virtutem Metriæ viri beati, quod velociter in peruasorem suum inrogat vltionem. Denique conuerti auditores causam discutiūt. Insurgit Childericus atque impropere criminibus exacerbatum Episcopum, quod res fisci ditionibus

bus debitas, iniquo ordine retineret, extrahi eum vi à iudicio iubet: & tandem ablata per iudicium presentium villa, trecentis aureis condemnauit. Fauebant ei omnes, nec quisquam contra voluntatem eius audebat decernere, nisi quod eidem libuisset. Denique condemnatus spoliatusque sacerdos, ad urbem redijt, atque prostratus in orationem coram sepulchro sancti, dicto psalmi capitulo ait, Non hic accendetur lumen, neque psalmodum modulatio canetur gloriosissime sancte, nisi prius uisceris seruos de inimicis suis, resque tibi violenter ablatas, Ecclesie sanctae restituas. Nec mora, corripitur peruasor à febre; decubitali lectulo, exhorret cibum, fastidit & potum, profert astuans iuge suspirium. Cui etiam ab ardore febris interdum sitis accedebat, aquam tantum, nihilque aliud hauriebat. Quid plura? in hac ægrotatione integrum ducit annum. Sed mens praua non flectitur. Interea labitur Cæsaries cuncta cum barba, & ita omne caput remansit nudum, ut putares eum olim sepultum, nuper eiectionem fuisse post funera de sepulchro. His & talibus miser afflictus malis, serò recogitat, dicens: Peccaui, ed quod expoliauerim Ecclesiam Dei, atque Episcopo sancto intulerim iniuriam. Nunc autem ite quantotius & reddita villa, sexcentos aureos super tumulum sancti deponite. Est enim mihi spes, quod res reddita tribuat ægrotanti medelam. Quod audiētes homines eius,

accepta pecunia fecerunt, sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidosque super sepulchrum serui Dei posuerunt: sed cum hæc fecissent, statim illi in loco quo erat, spiritum exhalauit, lucratusque est detrimentum animæ per adeptionem acquisitionis iniquæ. Episcopus autem obtinuit vltionē de inimico Ecclesiæ, quam promiserat futuram per athletæ Dei virtutem.

Ex histor. Ecclesiast. Tripartit. lib. 6. cap. 10. Iulianus auunculus Iuliani Aug. cum preciosa Ecclesiæ vasa abstulisset, Ecclesias clausisset, & clericos omnes effugasset, admirabilem Dei vindictam expertus est.

C A P. L I.

Iulianus auunculus Iuliani Imper. dicitur id studium habuisse, vt in thesauros Imperatorios plurima & preciosa Ecclesiæ Antiochenæ vasa reponderet, & clausisset Ecclesias, & vniuersos clericos effugasset, & solum tunc Theodoritum stetisse presbyterum. Quem cum tanquam vasorum custodem comprehensum crudeliter sauciaisset, nouissimè præcepit gladio occidi. Qui fortiter inter vniuersa tormenta respondit, & pro dogmatis confessione deuicit. Quumque vniuersa Deo dicata vasa, & pallia collegisset, proiciens hæc in terram, contumelijs & iniurijs, vt voluit afficiens Christum, super ea etiã sedit, & cumulum auxit iniuriarum. Moxque verenda eius & loca femoribus circumposita feruntur esse per-